



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. III. Iesvs amabilis ob intellectus dotes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940

58 CHRISTIFORMITAS,
que (d) qui habent uxores tanquam non
habentes sint: & qui flent, tanquam non
flentes: & qui gaudent, tanquam non gau-
dentes: & qui emunt, tanquam non possi-
dentes: & qui utuntur hoc mundo, tan-
quam non utantur; præterit enim figura
hujus mundi. At non præterit forma
Christi. Atque ita demum admirabili
tam dissimilium unione assimilabi-
mur Homini-Deo.

(d) 1. Cor. 7.

C A P U T I I I.

IESVS amabilis ob intel-
lectûs doctes.

§. I.

SI ad quorundam ingeniorum e-
minentissimam celsitudinem ob-
stupe scimus, oculos in profundissi-
mum stoliditatis præ illis nostræ bara-
thrum depressi: Si Tullij Romano
Imperio par ingenium, Augustini
Christiano, ut ita dicam, orbi non im-
par suspicimus, si Tostatus, vel alius
quis canitur Ille stupor mundi, qui scibile
discu-

discutit omne, quantam ingenij vim & amplitudinem Dei hominis animæ concessam putamus? In eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei erant absconditi. Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit revelare, scrutatur hominum renes & corda, etiam profunda Dei. Ipse unigenitus, qui est in sinu Patris, venit, ut enarraret nobis, & eructaret abscondita à constitutione mundi, ideoque plenus debuit esse ut gratiæ sic & veritatis, per quem gratia & veritas facta est, ut nos de utraque plenitudine ejus omnes acciperemus. Præter beatam, qua Deum semper vidit, scientiam comparavit quotidiano rerum usu experimentalem, qua didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam, & compati infirmitatibus nostris; hausit verò anima sanctissima velut ex ipso Sole Deo, cui cohærebat quamproximè & intimè, radios scientiæ tum acquisitæ, ut

vocamus , rerum naturalium , tum
infusæ etiam supernaturalium quanta
hauriri à Deo potest maxima. (a) Nec
fuit hora in quacunq; ætate sua, qua de
plenitudine illa sapientiæ, quam in sui
conceptione accepit in utero, vel ali-
quid minueretur , vel aliquid eidem
adjiceretur: sed à principio perfectus,
à principio, inquam, plenus fuit spiri-
tu sapientiæ. Nec te moveat quod de
illo legis : *IESVS autem proficiebat sa-
pientiâ.* Dictum enim est secundum
quod apparebat , non quia videlicet
aliquid ei novum accideret, quod an-
te non haberet : sed quod accidere
videretur , quando volebat ipse ut vi-
deretur. Tu homo cum proficis, non
quando, nec quantum vis, proficis: sed
te nesciente tuus moderatur profe-
ctus, tua vita disponitur. At verò puer
JESUS, qui disponit tuam , ipse dispo-
nebat & suam : & quando volebat, &
quibus volebat , sapiens apparebat :
quan-

(a) *Bern. hom. 2. de B. Virg.*

quando, & quibus volebat, sapientif-
 simus : quanquam in se nunquam ef-
 fet, nisi sapientissimus.) Disce vel ex
 linea Apellem. Herodiani capere vo-
 lunt eum in sermone : rogant, an li-
 ceat dare censum Cæsari, an non ?
 si ait, Judaicæ immunitatis hostis au-
 diet, ac traducetur apud populum.
 Si negat, Cæsaris dicetur hostis :
 quid faciat Sapiencia ? Respondet,
 quod nec populum offendat, nec Cæ-
 sare : & Herodianos instruat : (b)
Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari,
& quæ sunt Dei Deo. Rursus Pharisei of-
 ferunt in adulterio deprehensam, (c)
 rogantes, an eam lapidandam iudicet
 sicut præcepit Moyse; si diceret, non
 lapidetur adultera, injustus convin-
 ceretur : Si diceret, lapidetur, man-
 suetus non videretur, ac mansuetu-
 dine jam erat populo amabilis. Quid
 ad hoc Christus ? quod dicere de-

C 7

bet

(b) *Matth. 22* (c) *August. tract. 33.*
Ioan.

62 CHRISTIFORMITAS,
bet mansuetus, & justus: (d) *Qui sine
peccato est vestrum, prior in illam lapidem
mittat. O responso Sapien-tiæ!* Quid
simile Salomon? ad tantam sapien-
tiam, ut olim ad suam Regina Sa-
ba, maneat sine spiritu; imò erube-
scat justius, quam olim spirans in
marmore in Justiniano sanctæ So-
phiæ, hoc est, ipsius Christi sapien-tiæ,
templo, ubi velut pudore suffusus vi-
debatur fateri victum se ab Justiniano
ac pronuntiare illud (e): *Ecce plus
quàm Salomon hic.*

(d) *Ioan. 8.* (e) *Matth. 12.*

§. 2.

ECquid verò latere potest Judicem
præteritorum, præsentium ac
futurorum? Quid nesciret futurum
æternitate totâ æternæ fœlicitatis ac
supplicij diribitor? quid fugeret mo-
deratorem animorum, dispensato-
remque gratiarum? Quid præteriret

ca-

captantem sapientissimè molles aditus in animas rebelles ex infinitarum circumstantiarum varietate ad injiciendam gratiam congruam? quid ignoraret ille, sine quo liberè, ad eoque scienter faciente nil facimus ipsi, nil possumus? (a) *Domine probasti me & cognovisti me, intellexisti cogitationes meas de longè, mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Adeste huc docti indoctiq; , ad **JESUM** scientiarum universitatem concurrite, haurite de fontibus Salvatoris scientiam Sanctorum. Ipse veritas, ipse Dominus scientiarum. Hinc hausit Bernardus, hinc Bonaventura, hinc Christodidacti innumerabiles. O qualem librum Jesum! (b) librum scriptum intus & foris, librum in humeris portandum, capiti imponendum, & quasi coronam eum cumdandum nobis, librum in singulis gradibus nostris pronuntiandum! (c) Qui hunc novit, nihil
ultra

(a) *Pf. 138.* (b) *Eja. 8.* (c) *Iob.*

ultra quærat, quia hic perfecta virtus
& sapientia est, inquit Ambrosius: no-
stra Christus scientia, sapientia quo-
que nostra idem Christus est, inquit
beatus Augustinus. Accipe librum,
& devora illum, & erit in ore tuo
dulcis tanquam mel, bonitatem, &
disciplinam, & scientiam docebit te.
Si Augustinum nemo non diligit am-
bitiosius ob singularem ingenij sacræ-
que doctrinæ laudem, quasi eò pro-
piores illi sint & aspersi eadem luce
laudis, quò chariorem sibi profitentur;
quis divinum Christi ingenium non
amet, non adoret? vel inde ei se cha-
riorem ac similiorem esse non dubi-
tet, quò se senserit amantiorem, pla-
ces Christo, si placet tibi Christus.
Christiformitatis studiosus studeat et-
iam scientiâ esse Christo similis quo-
ad valet. Ratione Dei, sui que noti-
tiam ex naturalibus rebus comparet,
fidem supernaturalium excolat, &
scientiam rerum divinarum non tam
spe-

speculativam, quàm experimentalem
 & sapidam acquirat: beatæ supparem
 visioni contemplationem JESU affi-
 duam avidè sectetur, & petat, donec
 fornicationem judicet vel momenta-
 neum à Christi contemplatione dis-
 cessum. Denique (d) *instructus in cha-
 ritate, & in omnes divitias plenitudinis in-
 tellectus in agnitionem mysterij Dei Patris,
 & Christi JESU*, discat nihil scire nisi
 JESUM, & hunc Crucifixum.

(d) Col. 2.

CAPUT IV.

*IESVS amabilis ob dotes volun-
 tatis.*

§. I.

QUANTUM amabilitatis ha-
 beat sanctitas vera, nec occultâ
 cogitatione comprehendi potest. Vi-
 de si qua uspiam apparuit etiam in vi-
 vente, ideoque exitus incerti, puta
 in Simeone Stilite, in Bernardo,
 quàm ea rapax animorum fuerit. Si
 virtus in hominum oculos incurre-
 ret,